

NOBILISSIME DOMINE DOCTOR,
AMICE PER QUAM DILECTE.



Virtus etiam in hoste laudanda est, anti-
tiqua omnium gentium encomio concordi
celebratur parcemia. Nullus vero capita-
lior hostis humani generis habetur Peste,
quam si dixeris, lernam malorum & omni-
um pessimum, quod mente concipi queat,
nominaveris. Si tamen liceat & dirissi-
mum hunc morbum laudare, non uno ar-
gumento id præstare fuerit integrum, saltem cum aliis sui generis
factâ comparatione. Alii morbi frequenter impetunt corpus,
noctu diuque, quod Ascræus canit, insidias struentes. Pestis ra-
rissima est, non quotidiana labe quatit humanum genus, non per-
petuo affligit, si non pacem plenariam, inducias tamen admittens
facile. Cumque non niduletur in corpore, nec generetur in san-
guinis undis, nec à causis ordinariis, quibus reliqui insurgunt, nec
in classe quidem ordinarii hostis locum invenerit. Sin adoriatur
urbem, palàm & quasi in meridie, ut divinus Psalter memorat, id
est, aperto Marte magis vim suam ostendit, modò advertere velit
æger, vel Medicus; Non in tenebris grassatur, seû per insidias, ut
febres malignæ, opinione citiùs ingruentes & necantes. Fugi po-
test & fugari Pestis, secus & reliqui morbi. Non epidemius est,
aëris culpâ disseminatus, solâ contage multiplicans funera. Nec
in plures diffunditur illorum more, contentus vilissimo sæpè cen-
tro & velut carcere. Non vires sumit nisi negligentia, culpâ in-
crescit non suâ, sed civium. Lentus est, sed activus, strages edens
immanes, ut ignis si in luculentam exarserit flammam. Ut vel
ex hoc quoq; divini numinis summam clementiam palpare liceat,
quan-